

## Bourges C 16 (lat)

### ITEM ALIO INDICULO

Carissimo ac dilectissimo mihi cum summa veneratione nominando **illo** ego **ille**, fidelis vester, perpetuam in Domino Iesu<sup>a</sup> Christo salutem.

De cetero quante gratiae mihi pro inpensis beneficiis vestris vobis<sup>b</sup> referende sint quanteque laudes, quantumque vos intueri exoptem, verbis neque dictis explicare possum, quippe qui erga me caritatis vinculo ministrante tot bona exercuistis, quae a me, quamvis gratanti animo fiant, plene tamen, ut dignum est, rependi nequeant.

Dirigo denique vobis clypeum cum lancea, non a vobis petatum, sed a me pollicitum, |<sup>1</sup> in hospitale vestro in loco, qui vocatur Gericiago, quo pauperes, de quibus me unum forae non ambigo, honorifice colliguntur et honorantur, et non paratum, sicuti inbelles querunt, sed ita paratum vili metallo, sicuti dimicatores optimi, de quibus vos unum esse dubium non est, haberae procurant. Ab his nemp, qui viribus invalidi et inbelles sunt, scuta auro micancia querentur, que exterius auro resplendeant, interius tamen incassum vigeant, ita videlicet, ut eo in pugnam progrediente clippei sui hostis adversans auro perterritus secedat, ipse vero immunis aurum suum clippeo gestans immunis ad propria redeat. Sicuti solet fieri in his, qui pulcheros<sup>c</sup> haberae codices exoptant, a foris auro gemisque<sup>d</sup> ornatos, intus tamen non lima artisque rigora politos, sed vitiorum copia fultos; nec adtendentes divinas paginas, quibus illis nobisque vivendum est et cum hosti nefando pugnandum, vitiis exuerae, sed sola tantomodo vane laudis appetitione sibi blandiuntur; eo quod codices metallorum generibus ornatos habeant, habentes quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam.

Ego vero pertractans fortitudinem vestram, quia scio, vos virum prudentem in verbis, virum fortem in factis virumque amabilem in omnibus, et ea quererae et amarae, que ad cultum Dei pertinent, clyppeum hunc ex ferro, |<sup>2</sup> quod vilissimum metallorum est, pararae iussi. Poteram enim illum, Deo iuvante, prae<sup>e</sup> metallo foris ornarae<sup>f</sup> sed a me hoc ex industria isto modo peregisse et vobis destinasse cognoscite, postulans, ut non adtendatis, qualem interius, sed qualem exterius vim contineat. Certe, si mihi praesens<sup>g</sup> iter tam propera non instaret, cum eodem clipeo sonipedem mitterem, quod quidem, quia modo non facio, facturum tamen. Si vita comes<sup>h</sup> fuerit, me vestris partibus non diffido<sup>i</sup> et ea vobis mitterae, sive que a vobis ordinata acceperae, sive ea, que istis in partibus ad utilitatem vestram pertinent, a me<sup>j</sup> inveniri potuerint. Deus enim, omnium bonorum [auctor]<sup>k</sup> atque largitor, daturus est<sup>3</sup> *velle et perficerae*, ut ea<sup>l</sup> peragam, que vobis placita sint.

Ego sane non inmemor petitionis meae ac promissioni<sup>m</sup> vestrae de rae, quam vos plene nostis, pro qua vobis vel domno **illo** dilecto Deo petiturus<sup>n</sup> iam dudum accesseram, sed vobis pro me ad **illum**<sup>o</sup> eadem res dilata est usque ad adventum presulis aegregii **illo** archiepiscopo ita dumtaxat<sup>p</sup> ut illo illuc properante vel adgrediente **illius** in hac rae perscrutarem voluntatem et **illius** licentia id ipsum, quod petierem<sup>q</sup> meae petitioni adsensum praebentes<sup>r</sup> benivola mente<sup>s</sup> mihi praeberetis<sup>t</sup> Ideoque ego hos meae exiguitatis apices ad vestrum procuravi mitterae venerabilem conspectum recitandos, ut, quicquid modo de hac re mihi |<sup>3</sup> agendum<sup>u</sup> est, litteris me vestris, quas oppido intueri desidero, certificetis, et quicquid vobis visum fuerit uel beneplacitum<sup>v</sup> ad singula mihi notescerae non gravemini. Iam suggesti in auribus vestris, pro qua causa eandem rem tam infestae postulo. Certe, si hoc mihi non foret, quod vobis notui, non illam utique peterem, quia nulla

indigencia mihi est eam peterae. Modo vero, si vobis petitio mea inanis vel infectuosa<sup>w</sup> in hac rae videtur, et hoc notescite mihi, ut spes mea ab eadem re petenda penitus auferatur.

Quid aliud, quid dicam amplius? Pauca pro temporae dixi, quia scio, te sapientem in paucis plura colligerae<sup>x</sup> Honor vester, si<sup>y</sup> in hac rae certaveritis, non deerit; qualemcumque videlicet imperaveritis, obaedia<sup>z</sup> sive caeterae exhibitiones a me vobis non differentur, sed pectoro<sup>aa</sup> toto, prout ordinatum a vobis fuerit, dabuntur. Versus etiam, quos mihi paterna scantio<sup>ab</sup> vestra iniunxit super tumulum bone memoriae genetricis vestrae<sup>ac</sup> **illa** describendos, composui<sup>ad</sup> vos vero diligenter iubete **illos** describere, ut lucidae ac clarae describantur, qualiter facillae legi possint a cernentibus et orantibus pro ea.

Merear te, sanctissime vir, incolomem cernerae et tuis cito mellifluis alloquiis frui et de tua tuorumque perpetim salutae letari.

Versus<sup>ae</sup> ...]

<sup>a</sup>[esu] Ihesu Roz

<sup>b</sup>vobis] *ausgelassen* Roz

<sup>c</sup>pulcheros] pulchros Roz

<sup>d</sup>gemisque] = gemmisque

<sup>e</sup>prae] so *Le*<sub>1</sub>; pre Zeu

<sup>f</sup>ornarae] ornare Roz

<sup>g</sup>praesens] so *Le*<sub>1</sub>; presens Zeu

<sup>h</sup>comes] = comis

<sup>i</sup>diffido] *lies* [esse] non diffido; Zeu *liest irrtümlich* dissido *und fasst es als* dissideo *auf*

<sup>j</sup>a me] [et] a me *ergänzt* Roz

<sup>k</sup>auctor] *ergänzt* Zeu, *fehlt* *Le*<sub>1</sub>

<sup>l</sup>ea] *für* eam *Le*<sub>1</sub>; eum Zeu

<sup>m</sup>promissioni] *promissionis emendiert* Roz

<sup>n</sup>petiturus] *lies* petitor

<sup>o</sup>sed ... illum] *lies* sed vobis [est] pro me ad illum [accedere]

<sup>p</sup>dumtaxat] *dūtaxat* *Le*<sub>1</sub>; *duntaxat* Roz

<sup>q</sup>petierem] *petieram emendiert* Roz

<sup>r</sup>praebentes] so *Le*<sub>1</sub>; *prebentes* Zeu

<sup>s</sup>benivola mente] *für* *benivolamimus* *Le*<sub>1</sub> *vgl. Bourges C (Le*<sub>1</sub>*) 15: quod petebam, benivola mente preberet, so auch Zeu; benivola ... ediert* Roz

<sup>t</sup>praebetis] so *Le*<sub>1</sub>; *preberetis* Zeu

<sup>u</sup>mihi agendum] *unten auf fol. 165<sup>r</sup> nach mihi radiert* i[...]d[...]d[...] *Le*<sub>1</sub>

<sup>v</sup>beneplacitum] *bene placitum emendiert* Roz; *beneplacitum emendiert* Zeu

<sup>w</sup>infectuosa] *Elativ* zu infecta

<sup>x</sup>colligerae] *colligerat emendiert* Roz *und beendet den Satz erst nach dem folgenden* honor vester

<sup>y</sup>si] Roz *beginnt hier einen neuen Satz*

<sup>z</sup>obaedia] *oboedia* Roz

<sup>aa</sup>pectoro] *pectore emendiert* Roz

<sup>ab</sup>scantio] = sansio; *scientia emendiert* Roz; *sactio emendiert* Zeu

<sup>ac</sup>vestrae] *Buchstabe radiert* (s, r oder x?) *nach urae* *Le*<sub>1</sub>

<sup>ad</sup>composui] so *Le*<sub>1</sub>; *composui* Zeu

<sup>ae</sup>Versus] *Die im Brief angekündigten Verse sind nicht überliefert*

<sup>1</sup>[fol. 164<sup>v</sup>]

<sup>2</sup>[fol. 165<sup>r</sup>]

<sup>3</sup>Philip. 2,13

<sup>4</sup>[fol. 165<sup>v</sup>]